METHODICAE TRACTATIONIS DE GERADA PARS PRIMA DE NOMINE, ETYMO, ORIGINE, HISTORIA, ...

Wilhelm Schmuck, Valenti Gonzaga



Conclusio I.

GERADÆ dictio germanis quidem est vernacula à vulgari, Gerâde/(a) jus autem ejus ab antiquissimis solius Saxoniæ populis arcessimus.(b)

(a) Vox est notissima; sed utrum, ut hoc obiter aspergam, suæ sit originis, nec ne, cum Grammaticis possit quis negare, quia πολυφώνατος. Jam verò omnia vernaculæ nostræ vocabula simplicia, sunt ut plurimùm monosyllabica, *Johann. Cuspinian. in sua Austria proœm.* *Cyriac.* Spangenberg *in aureo suo Speculo Nobilitatis* (Adelspiegel) *Vol. 1 Lib. 2 cap. 4.* *Ad quod alludit & Johan. Goropius in sua Hermathena lib. 3.* Quid si deducamus dictionem Gerâde à simplici Rat/ & hoc non ab eo, quod latinis est Consilium, sed quod idem ac paratum: unde fortassis & illa Unrath/ Vorrath/ Haußrath/ Bawrath/ bereit/ bereiten/ quæ omnia latinum Paratum & Parare, in fronte gerunt. Ut sint Gerâde/ quibus quid instruitur & fit paratius. Novum enim non est, ut latinæ vel alterius linguæ dictiones in theutonicum idiotismum degenerantes, vel contractionem

seu syncopen, ut in voce Seend pro Synodo *lib. 1. Landrecht art. 2.* Pfründ pro præbenda, Münz pro moneta, Kirch pro κυριακῇ, Angst pro angustiis, vel ablationem Syllabæ, eamq; vel in fine vel in principio patiantur, ut in Pargeldt / quod itidem omnino videtur verbi PARATI primam exprimere Syllabam, sicuti vox Rath in Gerade ejusdem mediam. Sic se habent in vernacula propria quædam nomina, ut; Bastian pro Sebastianus, Lise / pro Elisabetha. Quod autem ad primam Syllabam dictionis Gerâde attinet, ea ut plurimum intendendæ significationis ergò vocabulis germanicis adjicitur. Spangenberg *in Spec. Nobilit. vol. 1. lib. 7. cap. 4.* Nolo tamen hoc loco agere spinosum Grammaticum, sed pati possum, ut hic quilibet abundet sensu suo. A vocabulo porrò Gerâte componi deprehendimus, Kirchengeräte / *art. 7. Landr. lib. 3.* Häuptgeräte *art. 43. Landr. lib. 1.* Hälßgeräte / item Seelgeräte / *art. 23. Landr. eod. 1.* Quâ voce exprimitur legatum ad pias causas, quasi eo paretur anima instructior ad iter beatorum manium ex Pontificiorum placito; quod & judicium pro anima jus feudale nuncupat *Lib. 2. Feud. tit. 55.* Quare si definitionem Nominis spectes, est Gerâde nihil aliud, quàm quod à foeminis in usum partim quotidianum, partim ad copiam & abundantiam paratur colo, fuso, acu & id genus aliis muliebri sexui convenientibus instrumentis. Ideò autem dicitur Gerâda hoc loco non Gerâte / ut distinguantur res Geradam constituentes ab aliis suppellectilibus cujuscunq; generis.

(b) Gens Saxonica (quæ utrum à Persis suam trahat originem, *ut vult glossa ad art. 44. Landr. lib. 3. &*

Philip-

Philippus in Chron. Carion. in vita Valentiniani Primi, Petr. Heig. parte 1. quæst. 8. n. 6. cum seqq. An à Cattis antiquis Germaniæ populis *secundum Albert. Crantz. in sua Saxon. lib. 1. c. 17. hoc ex Tacito referentem*, nunc non dispuro) primis temporibus excludebat fœminas ab hæreditate, præsertim rerum immobilium, cujus rei vestigia extant *in art. 17.* Landtrecht. *Lib. 1. Et ibi Zob. lit. d.* quod confirmat Petr. Heig. adducta auctoritate Theodorici de Nim, qui *in Libro de privilegiis & Juribus Imperii Tit. de Saxon.* Scriptum reliquit: Cautum apud Saxones fuisse, ne mulier quantumvis excellens in patrio dominio succederet, & Cujac. *in comment. posthum. ad Codicem tit. de jure emphyt. mihi p. 240. ex libro Legum Salicarum, tit. de alladiis* tetat, legem fuisse, ut de terra Salica nulla portio hæreditatis ad mulierem perveniret; quod idem testatur & de Anglis & Turingis, qui omnes de Saxonū sunt prosapia, sancitū apud illos extitisse, ne hæreditas à Lancea ad Fusum transiret. Nec id sine ratione, quod enim priscis Syris in Mesopotamia *Gen. c. 31. vers. 14.* & ante decisionem divinam populo Israelitico factam, *Num. c. 27. v. 8. cum seqq.* itemq; populo Romano tempore mediæ Jurisprudentiæ in usu fuit, ut fœminæ ab hæreditate parentum excluderentur, tùm quod masculi sint familiæ conservatores *l. 1. §. 13. ff. de Inspic. vent.* & contra fœminæ finis familiæ *l. pronunciatio 195. infr. ff. de V. S.* inq; alienas domos tanquam colonias exeant, *Cic. lib. 1. Officior.* tùm quod masculi publicè magis prosint, fœminæ verò ab omnibus negociis publicis e contrario remotæ esse jubeantur, *l. feminæ. 2. inpr. ff. de R. J.* Hoc idem movere potuit &

 priscos

priscos Saxones, præsertim cum viderent, masculis omnem ferè vitam esse consumendam in militia pro Patria & liberis, *Hotom. in Epist. praef. Juris Feud. lib.* Et quamvis alij populi fœminis aliquid dotis loco constituerent, quo partim procis essent acceptiores, partim ut post obitum mariti haberent, unde viverent: Saxones tamen in hoc tantò fuerunt rigidiores, quantò magis futuros maritos ad dotem parentibus Sponsæ inferendā compulerunt. *Heroldus in Legibus. Sax. Tit. 6. & 7.* imitati procul dubio tunc temporis universalem Germanorum consuetudinem, qua viri uxoribus, non uxores viris dotem dare solebant, eâq; non exhibitâ, nihil consociatum aut fœderatum sponsalia habebant. *Alex. ab Alexand. Lib. 4. Genial. dier. c. 8. ubi idem de Cantabris quoq. refert. Videatur & Nicol. Sudor. Lib. 2. disp. Jur. civ. mihi pag. 176. post Tacit.* Quo pertinere videtur & illud Salomonis Proverb. c. ult. vers. 28. filiarum copia divitias suppeditat. Et illud in Genesi, ubi Sichem, stuprator Dinæ Jacobi filiæ se offert ad dona, pro conciliandis Jacobi filiorum animis, *cap. 34. v. 12.* Cum igitur nec hæreditas, nec dos fœminis fuerit reliqua, factum est, ne prorsus nudæ ex ædibus paternis ejicerentur, ut consuleretur illis Utensilibus manu suâ fortè paratis & operâ. Cum enim viri bellis perpetuò implicati cum hostibus pro tuendis & dilatandis finibus suis eminus pugnarent; rei familiaris cura fœminis unicè incubuit, inprimis ut lanam & linum tractando, nendo, texendo, neta, texta, purgando, acu pingendo, mensam, lectos, parietes, reliquaque suppellectilia facerent instructiora & ornatiora. *art. 5. in princ.* Weichbild. *& ibi*

glossa in princ. & fine. Quid igitur mirum, si eas una cum vestibus suis, mundo & ornatu, uti olim, ita etiam hodierno tempore, sibi suo quodam jure solæ vindicent, & ad solas filias atque cognatas, quasi laboris hujus participes, post mortem successionis jure transferant, *arg. gloss. ordin. ad art. 23. in princ.* Weichbild. *Verb.* Durch jhres Ampts willen/ ita ut oppidò fallantur, qui, jus Geradæ apud Saxones sine ratione introductum esse somniant. Dissentiunt ab hâc sententiâ, qui Geradam vel inde usque ab Evandri matre repetunt; Quod enim ex Plutarcho in vita Solonis citant, Athenienses nihil admisisse, quod nupta secum importaret, nisi tres tantùm vestes, & vasa quæpiam parvo empta, *Annæus Robert. Lib. 1. rer. judic. c. 2.* frustra omninò est: Quid enim tres vestes ad nostram Geradam? Quid Græcis, præsertim tempore Solonis, commercii cum nostro populo? Tandem similitudine respondeat licet, quod apud priscos Romanos sponsa nuptiarum die colum comptam, & fusum cum stamine ad virum attulerit. *Alex. ab Alexand. d. Lib. 4. Gen. dier. cap. 8.* eas tamen ab hæreditate paterna propter ea vel exclusas, vel quod fuso & colo pararunt, sibi, & non potiùs viris, vel in commune paràsse, minimè hinc sequitur. Mirum, quod non à Semiramide, quæ perhibetur inventrix lintei panni, *gloss. artic. 6.* Weichbild. vel à colo & fuso primæ parentis, juxta illud: Da Eva span/ etc. ridiculè derivant.

II. Quod

Quod ex tenebris eruerunt, & illustrarunt Eckius à Repkau (a) in Speculo Saxonico seu LandRecht (b) ejusq; glossator egregius, Burckhardus à Mangelfeld, (c) qui & Concinnator libri Weichbild. (d) Quibus supremam manum addunt Constitutiones Electorales laudatissimæ. (e)

(a) Qui qualis, quantusq; fuerit, quo item tempore vixerit, & cujus jussa Speculum Saxonicum adornarit, id partim ex prooemio Speculi, partim ex Pet. Heig. *quæst. 8. pag. 2.* abundè patet.

(b) Rectè Speculum præponimus reliquis Juris Saxonici voluminibus: Est enim antiquius quàm Weichbild/ ut, quod contractum, & epitomatum est ex Speculo, *gl.* Weichbild. *art. 1.* quàm etiam ipsum LehnRecht *gl. ad art. 14.* Landr. *lib. 1.* à Speculo ideò denominatum, ut Saxones jura sua in eo libro, tanquam in Speculo, contemplarentur, *gl. art. 62.* Landr. *lib. 3. n. 1.* Unum q; & idem est cum Landrecht/ seu Jure Provinciali, eo, quod universus populus Saxoniæ, cujuscunq; sit ditionis & terræ, illud, si Glossæ credimus, agnoscat *d. gl. ad art. 62.* quantumvis in multis Saxoniæ terris hodiè ab eo recessum sit. Dolendum autem est, Dn. Eckium ordinis in hoc optimo Libro ac Methodi prorsus immemorem fuisse, quamvis glossator in aliquot locis co-

netur

netur aliquid ejus monstrare, sed saxum, opinor, volvit. Nam nec naturalis Methodus, quam secutus est Justinianus in Institut. per tria Juris objecta, nec temporis ordo, quo Leges in singulis Codicis nostræ titulis dispositæ sunt, nec Doctrinæ ἀπὸ τῶν καθόλου ἐπὶ τὰ καθ᾽ ἕκαστα, multò minus Edicti perpetui, qui cernitur in Pandectis ac Codice, est observatus, sed omnia κατὰ συγκυρίαν, ut Eckio in manus venerunt, cernuntur compilata. Unde colligitur, Eckium non in eo studium suum posuisse, ut in certum ordinem redigeret jus Saxonicum, sed ut sui temporis usu recepta, quæq; tùm in ipsis rerum obtinebant argumentis, excerperet, eaq; tribus illis libris Speculi posteris exhiberet.

(c) Probè omninò Heigius glossatorem hunc ratione temporis ab Eckio sejungit, probatq; rationibus aliquot non contemnendis, hunc sub Friderico Secundo, illum sub Alberto Primo Austriaco, aut non ita multum post vixisse; quâ in Chronologiâ omninò acquiescendum puto, inprimis si catalogum Imperatorum, Weichbild/ præfixum, cum Constitutione ipsius Alberti, in calcem Lehnrecht conjecta, quam in suâ glosâ Burckhardus passim citat, conferas. *Dissentit Cyriacus* Spangenberg *in Spec. Nobilit. p. 2. Lib. 11. c. 6. in fin.* Cæterùm glosâ hac in nostra vernacula nihil hodiè tersius & puriùs extat, & quod in ea cumprimis commendatione dignum est, tùm Terminos Juris, tùm Regulas in nostrum idiotismum admiraculum feliciter & eleganter vertit; quam commendat & Goedd. *ad l. rei appellatio. 5. §. opere locato. ff. de verb. signific.*

B In hu-

(d) In hujus vocis Etymo variant Auctores, & quod Weichbild idem sit, quod Weibbitt seu Weitgtbitt; Hoc autem à scriptura & literis hujus dictionis nimis est alienum, quamvis hanc derivationem agnoscat glossa *ad art. 9.* Weichbild; & index ille interpres vocabulorum obscurorum post Lehnrecht *in vocabulo* Weichbild. Ratio ibi additur: quia hoc jus tàm latè se extendebat, quàm amplum erat ejus territorium. Mallem, si liceret à Weich & bild denominari, ut Weichbild ostendat illam terram atque locum, in quem contemplatione jurisdictionis tuæ ac territorij tutò te recipere queas. Vox enim Weich/ sive Wick/ juxta Goropium *Lib. 5. Hyroglyph. fol. 91. & Spangenbergk p. 1.* Adelspiegel/ *Lib. 5. c. ult.* Germanis nihil est aliud, quàm receptaculum, confugium; ad quod tutelæ ergò concedimus. Quæ vox propterea connexa est cum dictione Bildt/ quia olim in civitatibus, vicis & oppidis Germaniæ statuebatur signum Crucis proceræ, in cujus Fastigio & summitate, ut de jurisdictione istius loci manifestiùs constaret, conspiciebatur erecta manus tenens gladium, *d. ind. in voce* Weichbild. ita ut hoc vocabulum nihil aliud significet, quàm illud jus, quod in unâquaque civitate, vico & municipio certâ propriâq; jurisdictione ac territorio circumscriptum peculiariter observatur. Hùc faciunt, quæ de Weichaus/ Weichfried/ afferuntur *in glossa ad art. 9.* Weichbild. Cæterùm Auctor hujus voluminis Weichbild est Burckhardus à Mangelfeld/ quod colligitur ex glossâ *tùm ad artic. 1. vers.* Nun fragen wir/ etc. *tùm ad artic. 10. vers.* Darnach nach diesem/ etc. Nec obstat,

in hoc

in hoc volumine Weichbild/ Ottonem Rubrum Imperatorem & filium Ottonis Primi, qui & Magnus dictus, passim auctorem istius salutari. Nam hoc omne est accipiendum juxta *d. gloss. art. 10. ad vers.* Ihr sollet wissen/etc. ibi enim Burckhardus fatetur, omnis juris municipalis Magdeburgici vigorem atq; auctoritatem dependere ab illo Ottone Secundo, qui primus privilegium concesserit condendi, supplendi, interpretandiq; leges, usu & necessitate rerum sic ferente & exigente, anno Christi 928. Videatur integrum privilegium Speculo Saxon. & Weichbild præfixum, & Chronica Imperatorum ante Weichbild/ *in vita dicti Ottonis Secundi.* Dissentit Colerus *in oratione de Orig. & Progr. Juris Saxon. vers. Ex quibus omnibus.* Ad methodum quod attinet hujus voluminis Weichbild/ pollicitus equidem est Burckhardus ordinem secundum tria Juris objecta, *in glossa ad artic. 1. in fin.* & benè se dant initia in articulis aliquot prioribus: sed utrùm in eo perseveraverit, alijs, qui methodicæ doctrinæ in jure nostro sunt studiosiores, judicandum relinquo. Porrò nihil derogat Weichbild Speculo, sed est compendium & Epitome ejus; Quod enim Institutiones Imperiales sunt ad Digesta & Codicem, hoc Weichbild dicitur esse ad Speculum seu jus Provinciale, *gloss. ad artic. 1. vers.* Zum ersten/ etc. *cum aliquot seqq.* Weichbild. *Coler. d. loco. vers. sed quia &c.* Quæri hoc loco non incommodè potest, numquid jus Saxonicum eatenùs hodiè locum obtineat, quatenus usu est comprobatum, omnis ejus auctoritas à consuetudine magis & usu recepto dependeat, quàm

ab ijs, qui de hoc jure scripto in manibus habentur? Idq; affirmat Hartman. Pistor. & hoc passim pro regula inculcat *in suis quaestionibus, inprimis Lib. 1. quaest. 16.* Rauchbar *p. 1. quaest. 37. num. 28.* Quid si distinctionis temperamento hanc observationem ad ea restringamus, quae consuetudo, qua de loquitur, indubitatè correxit, non etiam, quae nō correxit, necdum propter non usum sublata, nec utilitate sua carent. Alioquin idem statuendum fortassis erit de jure nostro civili, quod tamen nemo facilè admiserit *arg. l. sancimus. 22. C. de Testament.* ne fores & fenestrae indoctis Advocatis & Judicibus excusandi suam inscitiam aperiantur. *Heig. in Comment. ad Instit. §. fin. de Satisdat. post Nicol. Eberh. in Top. Loc. ab usitato num. 14. in f. Diss. Zasius ad l. 14. §. patroni C. de judiciis.* Secus est in Novellis Leonis, quas ullius auctoritatis esse Cujacius rectè negat *Lib. 17. observat. 31.* quod vel hinc apparet, quod nullis Commentariis in hunc usque diem sint nobilitatae, nec unquam usu receptae. De Recessibus Imperii quid sentiendum, an ad unum omnes contrario usu quotidiè pessum eant? id verò constanter negamus *contra Andr. Gail. lib. 1. observat. 110. num. 34.*

(*e*) Quibus jura vetera partim corriguntur, partim novis constitutionibus augentur, quod & Illustrissimus Elector ipse in frontispicio operis monet, & ex inspectione earundem deprehenditur. (Sed utrum hae Novellae ad praeteritos etiam casus referendae sint, explicat Dan. Müller. sub fin. praefationis suae, cui addenda

denda omninò distinctio *Matth. Coler. p. 1. process. Execut. c. 10. in antiq. num. 87. aliàs 102. cum seqq. Gœdd. ad l. Leges in f. C. de Legib.* Aliàs in genere nemini non notum est, leges promulgatas futuris duntaxat casibus formam dare, *d. l. leges 7. adde Novell. 66. c. 1.* nisi nominatim aliter & ut ad præteritos extendantur Legislatori visum fuerit, *ut est in l. jubemus, 21. in fin. C. ad SCtum Vellejan.*

III.

Pertinet Gerada ad jus privatum. (*a*) Est enim in Commercio (*b*) & patrimonio (*c*) cumprimis mulierum: Et ad juris privati eam partem, quam de rebus esse novimus. (*d*)

(*a*) Quantumvis enim Saxones jus Civile Romanum primis temporibus neque in publicis neq; in privatis causis secuti fuerint, sed ob perpetuata bella per triginta octo annos cum Francorum Regibus ac Romanorum Imperatoribus gesta. *Philipp. Melanchs. in Chron. Carion. in vita Caroli Magni*, jus illud omnibus modis spreverint: Ita tamen comparatum est cum jure Civili, ut nihil dici, nihil statui de jure à quoquam populo ratione utente queat, quod non ad aliquam ejus partem, vel materiam, ac dispositionem commodè referas. Congruit enim cum naturali ratione, imò haustum est maximâ ex parte ex jure naturali ac Gentium. §. *jus autem Instit.*

Inſtit. de jure nat. gent. & civ. l. jus civile, 6. ff. de Inſtit. & jur. (*quam legem Oldendorpius Baſin univerſi juris civilis prædicat.*) Quidni igitur communionem, cognationemq; cum omnium Gentium, quæ rationem admittunt, legibus habere, easque ad id de facili applicari poſſe, ſtatuendum ſit? Et ut in rem quaſi præſentem veniam, videtur mihi non abſurdè ad materiam Geradæ flecti poſſe, quod legitur *in l. ſi maritus. 46. ff. Fam. Erciſc.* quædam filios ſequi etiam antequam fiant hæredes: Ita Gerada quoque ad filias & cognatas non hæreditatis, ſed ſolo cognationis jure pertinet, quemadmodum Res expeditoriæ ac Feuda ad agnatos, quā de re pluribus infra in *Diſſ. 3.* Cū igitur Jus Geradæ nec ad ſtatum rei Romanæ ſpectet. §. *hujus ſtudii, Inſtit. de juſtit. & jure*, nec in ſacris, in Sacerdotibus & Magiſtratibus conſiſtat *l. 1. §. hujus ſtudii 1. ff. eod. tit.* fieri aliter nequit, quàm ut privato juri accenſeatur. Quod autem de Dote afferunt, cujus comes eſt Gerada, quaſi Juris ſit illa publici, nihil ad rem facit. Ea enim non dicitur publici Juris eſſe, ſed hoc duntaxat, publicè nimirum intereſſe, ut mulieribus dos ſalva ſit *l. 1. ff. Sol. matrim. l. 2. ff. de jure dot. l. 18. ff. de rebus auct. jud. poſſid. junge his & l. 2. §. 5. ff. Ad Municip.* Differunt autem quàm maximè *publicè intereſſe, & publici juris eſſe*, pulchrè *Zaſ. ad l. jus publicum 38. ff. de Pact. Cujac. ibid. in Comment. poſtim. ad Papin.*

(*b*) Audio quoſdam ſtatuere, Geradam rem extra commercium eſſe. Quod largimur illis libenter, ſi hoc intelligunt de maſculis, & cum micâ ſalis. Regulariter enim ad maſculos non pertinet Gerada, & ut

maxi-

maximè illis vel lege, vel statuto vel per donationem fortè deferatur, naturam tamen suam dictum-factum amittit, ita ut nec res retineatur amplius pro Gerada, nec relinquatur aliquando talis, sed merè res mobilis & hæreditaria, *ut infr. concl. 9. hâc part. 1.* Sic usu venit in allodiis, quæ in feuda transmutantur, inq; feudis, vicissim in allodia conversis; secus est in mulieribus, quæ & acquirunt, & possident res Geradales, & transferunt etiam ad suas cognatas, ut mox lit. c. dicetur.

(c) Immò non est, fortasse dixeris: Sicut enim viventis nulla hæreditas *l. 1. ff. de hæredit. vend. l. qui superstitis 94. ff. de acquir. hæredit.* Ita nec mulieri viventi quicquam, quod Geradæ nomen mereatur. Weichbild *art. 23. in gloss. ibid.* Es mag kein Gut Gerad seyn/ oder geheissen werden/ es sterbe dann loß: Distinguo, aliud est in genere de Gerada loqui, aliud in Individuo hujus vel illius personæ: aliud item propriè loqui, aliud *παχυλῶς*. Sic rectè dicimus, Geradam quocunque modo intellectam, vel de vivente vel de mortua, sine distinctione regulariter competere solis mulieribus, exclusis viris. Verba enim non sunt captanda *l. ad exhibendum. pen. ff. ad Exhibend.* 2. Gerada & res geradales aliud nomen non habent, etiam vivis mulieribus; Hæreditas verò aliter appellatur ante obitum, nimirum bonorum nomine venit. Gerada igitur meritò hanc appellationem retinet, utriq; tempori & mortis & vitæ convenientem. Vox autem Fahrnüß aut mobilium nimis est generalis, confundens cæteras res mulieris cum Geradâ, igitur ut magis distinctè loquamur, & ex usu Juris Saxonici, utroque tempore

Geradæ

Gerada dicitur Gerada; sic feuda quoq;, sic res Expeditoriæ & ante & post mortem possessoris nomen suum retinent. 3. Accedit, quod *d. gloss. in art, 23.* Weichbild. accipienda sit non tàm de Gerada, quàm de Geradæ petitione, cujus instituendæ jus habet proxima cognata adversus superstitem maritum, uxore defunctâ. Quasi cognatæ intuitu, sicut optimè declarat Hartman. Pistor. *Lib. 1. quæst. 31. num. 13.* Gerada non aliter in considerationem veniat, neque ab ipsa peti possit, priusquam uxor sive cognata decesserit; velle autem ex hac glossa colligere, ut ne & ipsa mulier, vel ea de cujus Gerada quæritur, nihil potestatis in Gerada, se vivâ, habeat, & propterea Gerada impropriè sic dicatur, absurdum est: Cum apertè constet, viventem mulierem etiam moderatricem esse plenariam suæ Geradæ, ita ut eam donationis titulo in præjudicium proximæ Cognatæ liberrimè queat alienare. Constat item, quod marito nullum jus, ne quidem mobilium in Gerada, vivâ uxore, competat, *Hartman. Pistor. d. quæst. 31. num. 3. cum seqq.* Quid igitur obstat & impedit, cum hæ res Geradæ jus obtineant, dum vivit uxor, sive quælibet alia mulier, quo minus nominis quoque Geradæ sint retinentes, tot insuper etiam textus in jure Saxonico sese offerant, qui sine discrimine temporis, vel defunctæ vel vivæ mulieris utensiles mulierum res Geradæ appellatione dignantur. Civiliter igitur locus illius glossæ, & secundum subjectam materiam accipiendas venit.

(*d*) Factum non est nec facti: Nam si horum alterutrum

rerumrum; aut actibus aut contractibus aut gestis, i. e. quasi Contractibus foret annumeranda: non enim datur quartum, ut rectissime colligitur *ex L. Labeo. 19. ff. de V. S. Azo. ad l. 1. num. 5. 6. C. Si advers. vendit.* Ad rerum igitur classem referenda necessariò Gerada nostra; Ita tamen ut ne hic cavillum rursus injicias de amplivagante significatu vocabuli rei, quod benè novi, in jure nostro non rarò latissimè sese extendere etiam ad ea, quæ sunt facti, ut est *in L. nominis 6. in princ. ff. de V. S.* ad delicta *l. 4. ff. de Obligat. & Actionib.* ad injuriam *in l. 1. §. ff. de injur.* Negotia *l. 26. ff. de R. J.* Solutionem *l. sub conditione l. pen. ff. de Solut. Francisc. Delus Caldas in repetit. in l. si minorem. in verb. res C. de restitut. minor.* Sed hæc omnia sunt extra præsentis vocabuli Rei acceptionem, quam ex Titulo, tùm ff. tùm Institut. de rer. divis. hic mutuamur, quaque rem à facto ipso eoque vel licito vel illicito distinguimus.

IV.

Rerum nimirum mobilium (*a*) non immobilium (*b*) multò minus immobilium loco haberi solitarum (*c*) nec etiam incorporalium. (*d*)

(*a*) *Vide Additionatorem ad text. lat. art. 1. Landr. lib. 1.* Ut quoad ejus fieri potest, solida Geradæ nostræ fundamenta sternamus, res ab ovo, quod ajunt, hic repetenda videtur. Cicero monet *in Topic.* duo esse genera rerum prima: unum earum, quæ sunt, alterum,

quæ

quæ intelliguntur, (*Dissent. Aristot. in doctrina τῶν κατηγορ.*) Hujus divisionis, ut & aliorum, quæ mutuati sunt à Philosophis cumprimis Stoicis. *Pancirol. Lib. 1. variar. lect. c. 80.* observantissimi sunt JCti nostri. Hinc Cajus *in l. 1. §. 1. ff. de rer. divis.* & Justinian. *in Instit.* Res omnes in Corporales, quæ tangi possunt, & Incorporales, quæ tangi nequeunt, sed in jure consistere & intellectu percipi dicuntur, distribuit *Instit. de reb. corpor. & incorpor.* Jam ut huic divisioni Geradam applicemus, nemo non corporalibus rebus eam annumerandam existimabit. Veruntamen cum corporales res rursus vel sint mobiles vel immobiles *d. t. Instit. pr. & l. 1. §. 1. ff. de rer. divis.* Quis est, qui vel ex ijs, quæ supra in conclus. 1. allata sunt, Geradam non ad mobiles referat? Competit definitio, quia loco movetur, transfertur, de manu in manum traditur, Germ. Fahrende Haab / beweglich Gut / vel das Fahrende / das Fahrnüß. Ergò & definitum. Atqui verò non omne, quod mobile est, Gerada est, Genus & Species non sunt ἀντιστρέφοντα: Igitur ut propius ad Geradæ naturam accedamus; hic alio quodam distinctionis temperamento utendum est; Nam in jure Civili mobiles propter usum suum nunc corporis nomen retinent, nunc quadantenus amittunt, & magis quantitates esse dicuntur *l. planè. 34. § si non corpus 3. ff. de Legat. 1. l. 1. §. 7. ff. ad L. Falcid. l. 94. § sin autem. 1. ff. de Solut. & l. Lucius Titius. 24. ff. Depositi.* Unde & fungibiles appellantur, cum sui functionem recipiant. *l. 2. in princ. ff. de reb. Cred. in princip. Instit. Quib. mod. re contr.*

fontr. obl. In Geradam igitur non veniunt ejusmodi res fungibiles, inprimis pecunia numerata. Et licet quædam in ea reperiantur, quæ numero vel pondere æstimantur: ut aurei incurvati trajectô funiculô, imagines illustrium personarum aureæ, vulgò pacificalia dictæ; *de quibus infra part. 2.* non tamen ut quantitatis, sed ut corporis considerationem habent, prout & pecunia numerata in sui functione & quantitate non perpetuò remanet *d. l. Lucius. 24.* Quin imò pecunia numerata usque adeò à Geradæ finibus exulat, ut quoties non præsidii, sed mutui causâ reposita est, imitetur magis naturam rerum immobilium, quàm mobilium, *l. si chorus. 79. §. 1. de legat. 3. l. 78. §. 1. ff. Eod. l. Cajus Sejus 86. in princ. de Legat. 2. Pinellus in l. 1. p. 2. num. 45. de bonis mater. Coler. in process. Execut. p. 2. c. 3. num. 27. in antiq. adde Cujac. ad d. l. 86. pr. Comment. postum. ad Respons. Pauli.* Idem statuendum de pecunia ad emptionem prædiorum destinata. Quamvis rursus dissentiat Pinellus *d. loco. Rot. Rom. decis. 332. p. 1. in novis. Thesaur. decis. 166. num. 4. in fin. Boër. decis. 209.* Quod & ad pecuniam emendæ Geradæ relictam fortè non incommodè transferas, ut & illa pro Gerada in consequentiam accipiatur, *quo de tamen infr. part. 2. de rebus Geradalibus.* Quantitatis igitur Res, cum à Geradæ ambitu prorsus exorbitent; Res in ea ut corpora quærimus, nec tamen rursus omnia, sed ea duntaxat,

 quæ

quæ præter cætera mulieribus magis convenire, Saxones prisci censuerunt, quarumque mulieres apud nullos non populos perhibentur studiosiores, ut vestium, ornamentorum, suppellectilis mundioris ac pretiosioris, *de quibus omnibus ex amussim infr. d. part. 2.*

(*b*) Pertinent enim illæ ad solam hæreditatem de jure Saxon. non ergò ad Geradam, ut quæ nihil commune habet cum hæreditate, sed notabiliter ab ea separatur per dictionem vernaculam Eigen / *Lehnr. c. 13. in gloss.* sive immobilia illa vel Eigen / in rusticis sive in urbanis prædiis consideres, quæ hinc appellantur germanicè Stehend vnd ligend eigen / *Landrecht lib. 1. art. 39.* Item Häuser oder Acker / *gloss. Weichbild / art. 21.* Unde & illud est, ut sicut masculi apud Saxones duplicia relinquunt bona extra feuda, hæreditatem & res Expeditorias: Ita fœminarum quoque bona repetiuntur alia atque alia, nimirùm præter hæreditatem & Gerada, *juxta art. 27. Landr. lib. 1.* ità quidem ut Gerada transmittatur ad proximam cognatam auff die nechste Nifftel / hæreditas verò ad proximum quemque cujuscunque sexus auff den nechsten Freund / *d. artic. 27. in ipso textu. Concordat Modestin. Pistor. & ibi Additionator doctissimus p. 1. quæst. illustr. 14. per tot.*

(*c*) Magna profectò vis est fictionis Juris: facit enim ex eo, quod non est, ut aliquid fit, & quod aliquid est, ut non fit, utpote ex dolo possidere desinentem possessorem *l. qui dolo. 131. l. parem. 150. l. ad ea 157.*

S. 1. ff.

§. 2. ff. de R. J. ex bonæ fidei possessore dominum, quamdiu nullam patitur controversiam *l. qui scit 25. §. in alieno. 1. ff. de Usur. l. bona fides. 136. ff. de R. J.* Immò ex mortuo vivum *in fin. pr. Instit. de Excusat. tut. vel Curat.* ex vivo mortuum *per legem Corneliam, l. lege Cornelia 12. ff. Qui testam. fac. &c. l. lex Cornelia 28. ff. de vulg. & pupill. substit. Gœdd. ad l. 3. §. 1. ff. de V. S.* Eadem ratione res mobiles interdum fingit quasi sint immobiles, in quarum numero sunt mancipia rustica. *Nov. 7. in princ. vers. Vult enim &c.* fructus pendentes *l. 44. ff. de rei vindicat.* & si quæ sunt aliæ, quæ rebus soli accedunt *l. 3. §. pertinet. 15. ff. de vi & vi arm.* De Mercibus, ut hoc obiter adspergam, in taberna, pharmacopolio &c. quid ais? Decisa res est in nostris terris, in alienis sequimur eos, qui rationem Juris amplectuntur: Cùm nostrum non sit, fingere ex quolibet quidlibet, sed solius legis hæc potestas est, & fictio nihil operatur, nisi in casibus in jure expressis. *Ant. Thes. lib. sing. quæst. forens. quæst. 3. num. 4. Giphan. lib. 2. de R. J. c. 7. Sebastian. Medic. in tract. de definit. p. 2. c. 8. per totum.* Dissentit *Matth. Coler. & quos ille citat in process. Execut. p. 2. c. 3. num. 6. 7. & num. 23. in antiq. ad cujus argumenta respondet doctissimus Heigius p. 2. quæst. 15. n. 21. cum seqq.* Et hinc videmus ex juris Saxonici placitis, ipsas res geradales non rarò ad classem immobilium abire, ceu sunt illa suppellectilia, quibus in diversoriis instruuntur dormitoria, Bettgewandt/ Pfühle/ Küssen/ Leilachen/ Weichbild *art. 23. & ibi gloss.* Cùm enim eo fine & hac animi destinatione comparentur,

ut per-

ut perpetuò ibi maneant, *d. gloss.* sine quibus & jus hospitii exerceri & hospites liberaliter tractari nequeunt, factum est, *testante Heigio d. loco d. num. 25.* ut hujusmodi species Geradæ pro immobilibus aut cohærentiis diversorii in Dicasterio VVitebergensi sæpè fuerint judicatæ. *Cujus fundamentis ibi appositis non incommodè fortassis adjicias licet & textum in d. l. 3. d. §. pertinet 15. ff. de vi & vi arm. l. locus. in princ. ff. de V. S. l. 17. §. 7. ff. de action. Empti, & ibi Gothofred. lit. x. in margin. l. 76. ff. de Cont. Empt. l. malum 242. in f. ff. d. t. de V. S. nec non illud glossæ in d. Nov. 7. in princ. vers. vult enim, verbis: mobile cohærens immobili censetur immobile. Angel. ibid. belle facit & text. in l. 12. §. 33. 34. ff. de Instr. & Instrum. leg. l. 3. ff. de pen. leg. Nec obstat textus in l. pen. ff. de V. S. Paulus lib. 3. sentent. t. 6. §. fundo.* Quid de ovibus stercorando agro destinatis sentiendum, & an eidem censui adscribendæ, ita ut ne fœminis aliquid ex ijs ad supplendam Geradam debeatur, videbimus ad partem ab hinc secundam. Idem tamen, salvô rectiùs sentientis judiciô non etiam statuerem de instrumentis rusticis, *d. l. 3. §. pertinet.* Nec non de instrumentis in officinis argentariis, ærariis, Schmeltz / Kupffer hütten & Eysenhämmern / ad domanda & paranda metalla necessariis, *l. ult. ff. de suppell. leg. d. l. 21. l. 22. ff. de Instruct. & Instrum. leg.* licet perpetui usus causâ ibi habeantur, sineque illis inutiles ipsæ sint officinæ: deficit enim lex, quæ fingit hæc, ut sint res immobiles, quamvis videatur Heigius contradicere,

nec non

nec non Vultejus præceptor quondam meus *Lib. 1. de feud. c. 5. num. 1.*

(*x*) Liquidò liquet ex his, quæ hactenus in medium sunt adducta, *& infra concl. 6. lit. e.* porrò adducentur, Geradam nostram à nulla rerum memoratarum classe longiùs recedere, quàm ab incorporalibus, sive jura intelligas mera, cujusmodi sunt, Dominii, hæreditatis, obligationum & id genus plurium, sive cum factis mixta, ut pacta, manumissio, nuptiæ, legitimatio, adoptio, emancipatio, donatio, &c. Quarum priori tribui accenseo & NOMINA & ACTIONES, *Instit. de reb. corpor. & incorpor. cum Ant. Thessaur. lib. sing. quæst. 4. per tot. Pinell. in rubric. C. de bon. matern. p. 1. num. 24.* Dissentit Petrus Jacobus *in sua praxi. Tit. de actionib. ex testam. §. quæstionabilis, num. 10. 11.* qui inter mobilia ea refert. Aliter dissentit Alber. *ad l. 1. C. Si adversus transact.* qui inter immobilia. Aliter denique Tiraq. *de Retraict. lignag. §. 1. gl. num. 1. usq. ad 30.* Connan. *in Comment. Jur. Civ. lib. 3. c. 2. in fin.* Petr. Greg. *Tolos. lib. 1. Syntagm. c. 9. n. 9.* qui plausibilitèr contendunt, JURA & ACTIONES modò mobilibus, modò immobilibus annumeranda, pro ut ad rem mobilem vel immobilem petendam quadrant. Movet me præterea, quæ Ant. Thesaur. adduxit, quod scriptum reperitur *in l. Cajus Seius 86. in princ. ff. de legat. 3.* cum quo facit & Bero. *consil. 44. num. 2. 4. 30. lib. 2.* & inter recentiores Cujac. eleganter *ad d. l. 86. in suo Metadrom.*

ad Re.

ad Responsum Pauli postum. mihi fol. 72. Unde nec in donationem omnium bonorum nomina venire aliâ disputatione obtinuimus.

V.

Quin Geradæ Complexus (*a*) jungit mobilibus etiam res se moventes (*b*) ut Gerada non omninò sit unius rei Singularis, sed plurium; nec unius speciei plurium corporum, sed & plurium specierum plurium.

(*a*) Liceat mihi loqui cum JCto Paulo *ex l. triplici. 161. ff. de V. S.*

(*b*) Vocabulo accepto in propria significatione de ijs, quibus actus movendi per se inest, & græcis ἔμψυχα rectiùs quàm αὐτοκίνητα dicuntur. (*Dissentit Gothofred. ad l. moventium. 93. ff. de V. S.*) ne forte columbam illius Archytæ Tarentini vel horologia, vel hydraulica, & id genus alia αὐτόματα his adscribere velle videamur. Quod JCti quoque nostri disertiùs notant appellatione, animales, *l. in venditione c. 15. §. 2. ff. de re judic. l. 2. ff. de suppell. leg. l. 93. ff. de V. S.* Quamvis non infieias eam, utrumq; & mobilia & moventia in jure nostro reperiri sæpiùs κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο λαμβανόμενα, *d. l. 93. d. l. 2.* Sicut vox mobilis, interdum & generis, comprehendens sub se tàm res mobiles in specie sic dictas,

quàm

quàm se moventes, *textus in d. l. 93. & l. 3. §. Nerva 13. ff. de acquir. poss. l. qui universas 30. §. itemq; mobilia 4. l. 15. §. sufficienter 2. ff. de Usufr.* Ut & vice versa dictio, movens, res mobiles *l. generali 32. §. fin. ff. de Usu & Usufr. leg. 1. fin. §. 1. & 2. ff. de Requir. reis* (*diss. Gothofr. ad. d. §. fin. mihi lit. N.* Nec desunt, qui *in d. §. 2. ff. de requir. reis.* JCtum intelligunt, quasi æquipararet fructus animalibus, qui servando servari non possunt, quod suadet §. *1. ibid.* & propterea res mortuæ dicuntur, *in l. 7. §. 1. inf. ff. de donat. int. vir. & ux.*) Interdum verò specie differt à movente, ut & movens à mobili *per l. 1. in pr. ff. de ædilit. Edict. l. 15. C. de SS. Eccles. l. 44. §. 2. C. de Episc. & Cler. l. 4. C. Fam. Ercisc. l. 30. in pr. C. de jure dot. l. 2. in pr. C. de quadring. præscript. l. 1. pr. Quando & quibus quarta pars bon. lib. 10. l. pen. C. de Servit. & aq.* Quibus ita cognitis nihil attinet ad intellectum *dicta l. 93.* nodum in scirpo cum Gilberto, Alciato, Roberto, & alijs quærere. Mens enim JCti satis aperta est *in vers. si tamen.* Sive igitur, *si tamen*, cum Florentino Codice retineas, sive *nisi tamen*, sive *si non* legas, quod agnoscit & Synops. Basil. verb. *εἰ μὴ lib. 2. t. 94.* perinde est. Scire enim leges non est, verba earum tenere: sed vim ac potestatem *l. scire 17. ff. de Legib.* Nec est novum, ut pro tuenda Florentina lectione hoc unicum adjiciam, reperiri in Digestis membra & Periodos ellipticas, ita ut res omnis in plano videatur esse, si post verbum, VOCASSE *in d. l. 93.* interjicias, vel potius subintelligas, *aliud dicendum.* Simile Exemplum *extat & in l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. ubi vid. Petr. Loriot. in suo Comm.*

Porrò quæ, & qualia se moventia ad Geradam nostram

ſtrâm pertineant, & cûr illa tantûm & non plura aſſi dentur, nimirùm hoc rejicimus *in part. tractationis noſtræ ſequentem.*

(c) *De quibus in part. ſeq. & mox. Concl. 6.*

VI.

Unde liquidò liquet, genus adæquatum Geradæ aliquod multitudinis nomen ſeu collectivum aſſignari debere: Sed an ſuppellectilis (*a*) an Utenſilium (*b*) an inſtrumenti (*c*) an peculij (*d*) an Juris? (*e*) non placent.

(a) Non competit definitio, Ergò nec definitum. Nam ſuppellex ex uſu juris eſt ac definitur, quod ſit domeſticum patrisfamiliàs inſtrumentum, quod neq; argento, aurovè facto vel veſti annumeratur *l. 1. ff. de ſuppell. leg.* in primis autem à ſuppellectile veſtes removentur *d. l. 1. & l. 10. Eod. &* veſtium armaria *l. 3. §. 2. ff. Eod. item. C. l. 7.* quæq; nomen ſui generis ſeparatum habent *d. l. 6.* nec non quæ deliciarum magis, quàm uſus causâ parantur *l. 11. ff. de ſuppel. leg.* Quæ tamen omnia quia Geradæ noſtræ accedunt, fit equidem, ut definitio ſuppellectilis multò ſit anguſtior, quàm ut Geradam capiat. Quid? quod huj⁹ definitionis ne quidem vocabulum reſpondeat Geradæ, cùm non ſit patrisfamiliàs: ſed matris-potis-familiàs inſtrumentum nec, uti dictum eſt, abſq; argento & auro, nec ſine veſtibus: Immò veſtes ejus potiſſima pars non rarò deprehenduntur.

duntur: quæ tamen à supellectilis voce usq; adeò sunt alienæ, ut si testator aliquis sub nomine supellectilis vestes legaverit, nihil minus quàm vestes legatæ esse dicantur: sed legatum quoad vestes prorsus corruat *l. 4. ff. de legat. 3.* prout hâc de re latiùs olim disputarunt JCti veteres ad unum omnes adversus Tuberonem *in l. 7. §. 1. & 2. ff. d. t. de suppell. leg.* Nomina enim non ex opinionibus singulorum: sed ex communi usu exaudiri debent *d. l. 7. §. 2. vers. non enim &c.* præsertim substantiam rerum significantia, ut quæ sunt publica & communia: Homo, fundus; non etiam quæ differentiam apperiunt, & sunt privata: ut Titius, fundus Cornelianus. Illa enim non possunt mutari arbitrio cujusque; hæc verò pendent ab arbitrio cujusq; privati, *eleganter Cujac. add. l. 4. in Comm. postlim. ad Digesta. Addatur & Alexand. ab Alex. lib. 1. Gen. dier. c. 19. Synops. Basilic. lib. 44. tit. 12. mihi fol. 391.* Dissentit VVesemb. qui ubique *in suis parat.* Geradam ad Suppellectilem refert *tit. ff. Quod quisq; Juris, &c. n. 3. & tit. de jure dot. in fin. tit. de donat. int. vir. & ux. in fin.* Aliter dissentit Rotschitz *in suo proc. in fin. ubi de Geradâ art. 10. Coler. decis. 60. p. 1. n. 24. qui cum gl. ad c. 23.* Weichb. Geradam definiunt Haußgeräte / Kastengeräte / das man findet in einem Hauß / item *juxta eandem gl. in fin.* Paraphernale: quorum prius tamen ad decempedas logicas examinatum, peræq; est angustius, quod nullũ habet dubium: posterius nimis latè patet ac diffluit, cùm paraphernalium nomine vel unicum duntaxat corpus venire possit, itemq; pecunia numerata, sive quantitas & jura: in Geradâ verò non, nisi plura corpora, nulla verò quantitas, nulla jura.

 (b) Inter-

(b) Interpretatio, seu translatio in aliam linguam perperam Generis locum obtinet, ac si dicerem Terræ motus est σεισμὸς, cœlum est οὐρανὸς, Vormundschafft est tutela. Nam eâdem ratione, qui juris Saxonici interpretes tersius loqui gestiunt, malunt pro voce Geradæ uti dictione latina Utensilium: quod fecit Hartm. Pist. *lib. 1. quæst. 31. & 33.* & passim *in suis lucubrationibus doctissimis. Petr. Heig. & Andr.* Rauchb, *uterq; in suis quæstionibus.* Hinc etiam conjungere solent ambas voces, hoc modo, *Geradæ & Utensilia.* Taceo, Utensilium nomine non satis aptè reddi nostrum Geräthe/seu Gerada, cum juxta classicos autores, vulgò citatos, Utensilia latino sermone non tantùm complectantur suppellectilia, verum etiam esculenta, tanquàm aliena à Gerada de jure Saxon. Dicit enim Columella, Utensilia esse, quibus aut alitur hominum genus, aut ex colitur. lib. 11. c. 6. de re rust. in quem significatum latiorem inclinat glossa *in l. eos qui. 12. ff. de Decur. & gl. in l. 2. verbo Utensilia ff. de Nundin.*

Quantum verò ad esculenta attinet, Dissentit novissimè Quido Pancirolus *lib. 2. var. lect. c. 91.* ubi vocem, Utensilia, ad ea sola instrumenta atq; suppellectilem restringit, quæ rustici tempore hyemis parare, & in civitatibus negotiari solent; cum tamen textus non prorsus excludat esculenta, sed uterq; generaliter conceptus sit, juncta *l. 12. §. 28. ff. de instr. Instrum. leg.* ubi Utensilia includuntur Instructi vocabulo: Instructum verò continet instrumentum instrumenti, quo referuntur & Cibaria *d. l. 12. pr. & §. 6. l. 18. §. 9. Eod.*

Et

mEtovet adversus Pancirolum non leviter citatus locus ex Columella. Quid? quod Plato à JCto Callistrato *in d. l. 2.* laudatus peraq; de esculentis, ac vasis rustica manu paratis, accipi possit.

Quis enim nescit, rusticis hodiè quoq; sua quæcunq; in civitatibus vendentib' frequentissimum esse, plus justo immorari in foris, donec sic satis avarum pretium rerum suarum ab emtoribus extorqueant? Adversus quas verè rusticas præstolationes, ut hoc obiter moneam, atq, technas in benè constitutis Rebuspublicis atq; civitatibus hoc antidotum inventum est, ne sedentes: sed stantes, & sic pertæsi tandem continuæ stationis, citiùs distractionem rerum suarum maturent.

(*c*) Fatendum omninò est, longè lateq; serpere appellationem Instrumenti, ita, ut servos & animalia, quæ agri gratia ibi sunt, contineat, ut rectè contra Alphenum veterem JCtum olim disputavit Ulpianus *in l. quæsitum, 12. §. Alphenus, 2, ff. de Instr. & Instrum. leg. Aristot, 1. polit. c. 4.* nec non cibaria *d. l. 12. in pr. & §. 6. d. tit.* Unde scitè perquàm definitur ab Ulpiano *in d. l. 12. in pr.* quod sit apparatus rerum diutiùs mansurarum, sine quibus exerceri nequiret possessio, vel quodcunq; aliud, quod instrumentis indiget eaq; desiderat *l. 15. §. 2. l. 8. §. 3. 7. 9. l. 20. §. 8. ff. Eod.* Verum usq; adeo se non extendit ejus usus, ut & ornatum, sive ornamentum flexu suo comprehendat *d. l. quæsitum. 12. §. si domus 16. cum §. seq.* vel quæ alia ad Geradam pertinentia, vel deniq, suppellectilem *d. l. 12. §. idem respondit 43.* ubi idem Ulpianus, qui totius legis autor est, diserte

ſertè contrarium ſentit, quando ait, *ſuppellectilem patrisfamiliàs instrumentum eſſe, neminem dubitare.* Eſt igitur & non eſt! abſit: idem tamen reſpondet Pomponius *in l. 1. ff. de ſuppell. leg.* Quod ſi patrisfamiliàs inſtrumentum eſt ſuppellex, inſtrumentum verò apparatus: quidni Geradam definiri licebit apparatum mulieris? Nimirùm deeſt forma inſtrumenti & apparatus, quam JCtus ex neceſſitate rerum habendarum deſcribit, quæ in ornatu & mundo, & quibusdam alijs, quorum copia in Geradâ apparet, deficit.

Sed quid de inſtructo dicendum? Nec illud adæquatum genus eſt, quàmvis ambitu ſuo longè antecellat inſtrumento *d. l. 12. §. ſed ſi fundus. 27. ff. de Inſtr. & Inſtrum. leg.* ita, ut inter ſe quàm maximè differant, domus cum inſtrumento legata, & domus inſtructa legata, & tandem domus legata cum omnibus, quæ in eâ ſunt. Confer textus *in l. 12. & §. 27. 28. & d. l. 12. §. Papinianus. 45. junctâ l. 1. & 2. C. de verb. ſignif.* *Diſſentit Weſembecius in paratit. de Inſtr. & Inſtrum. leg. in pr.*

(d) Genera hactenus commemorata ad unum omnia laborant ſignificatus anguſtiâ. Peculium verò contrà nimis eſt amplum, cui & reliqua mulierum bona, quæ extra Geradam ſunt, ſubſternûntur, exceptâ dote, ſi cum Papiniano proprijſſimè loqui velimus *in l. donationes 31. §. ſpecies 1. ff. de donat.* & Ulpiano *in l. ſi ego. 9. §. ſi res 1 ff. de jure dot.* quod ſi cum vulgo, non inficior, univerſum patrimonium peculij nomine venire, *in l. cogi 16. in princ. ff. ad SCt. Trebell. junctâ*

eiâ l. si chorus 79. in pr. ff. de legat. 3. Accedit quod peculium sit vocabulum Romanum, & ad novas rerum formulas, in quarum numero & Gerada ut Gerada est, & priscis Romanis ne quidem per somnium in mentem venire potuit, pessimè, si verum fateri licet, accommodetur.

(t) Δὶς διὰ πασῶν à Geradâ jus, res juris, seu quæ in jure consistunt, abludunt. Quantum enim distat res corporalis ab incorporali; tantum profectò est intervalli inter Geradam, & ea, quæ Juris sunt. Etenim quicquid Gerada est, hoc in corporibus est, non in intellectu: Juris verò quæ sunt, non in corporibus, non corpora sunt: sed intellectu & animo percipiuntur, *quo de supr. pluribus concl. 4. lit. D.* Dixeris fortè: Quia Geradam nominibus collectivis, seu multitudinis definiendam existimas, nunquid aptius afferetur, quàm Juris? Sic Hæreditas, sic Dos, ad quam Gerada quàm proximè accedit, definitur ab omnibus, qui in Juris abstrusioris scienciâ laudem hactenus sibi non vulgarem pepererunt. Sanè de hæreditate facilè concesserim *per l. 50. in princ. ff. de petit. hæredit.* Quod verò doti juris nomen generis loco apponunt, id mihi contra juris autoritatem fieri videtur, aut saltem minimus proferatur apex. Nam quod quidam, quorum nominibus hîc honoris causâ parco, pro suâ opinione, quâ dotem jus esse volunt, textum afferunt *in l. 17. in princ. ff. de jure dot. l. 5. princ. ff. de impensis*

in rem

infinem dot. fact. item *q. l. 21. §. 1. ff. de donat. int. vir. & ux. l. 20. C. de jure dot.* illud omninò frustra est, & nihil probat.

Qui verò ad similitudinem creditoris in re sibi pignoratâ, maritum dominum juris in dote constituunt, illis peræq; hæret aqua, propter apertissimum locum *in l. in rebus. 30. C. de jure dot. juncto princip. Instit. Quib. alien. licet vel non.* Dos igitur ipsa res est non jus in re. Sic sentit olim pater veritatis Azo *in summ. C. de jure dot. n. 1.* quem laudat *Zas. in rubr. ff. sol. matr. n. 14.* & sequitur Duar. *c. 1. & Hotom. ff. de jure dot. Frideric. Sol. in tract. de dote p. 1. c. 1. Cuibert. Coll. de jure dot. c. 2. n. 4.* Dissentit Bartol. *in d. rubr.* & Bartolini reliqui, quos copiosè more suo citat Sebast. Medic. *in tract. de definit. pag. 2. c. 57.* Cum igitur dos in rerum numero posita sit, quid ni Geradam (dixeris fortè) ei adjungamus? aut fatendum prorsus est, ejus acquisitionem sive petitionem triginta, & eo amplius annorum præscriptione in modum Hæreditatis vivere, quod fortassis nemo facilè dixerit, nec sanus juret Orestes, cum ejus præsciptio sit annalis, ut suo loco dicetur. Alia quæstio est, An mulier mortuo marito, possit Geradam occupare motu proprio, & non de manu Hæredis? quæ omnia, quia ad acquisitionem Geradæ pertinent, differemus *in part.* σὺν θεῷ, *quartam.*

VII.

Placet igitur Universitas.

Non est ignotum, sæpissimè in jure Saxon. mentionem fieri plenæ Geradæ, der vollen Gerade/ & Geradæ con-

dæ contractioris der halben Gerade / quæ certis,nec ita multis speciebus ac corporibus definita est, de qua distributione *infr. part. 2.* Unde deprehendas Geradæ quandam rerum multitudinem subesse, sicuti in hæreditate, dote, peculio, populo, legione, grege, quæ propterea res universitatis dicuntur. Quare non aberrabimus, opinor, Geradam quoq; isti rerum classi annumerari.

Sed quia hic rursus inter ejusmodi res Universitatis non vulgaris elucet differentia, & aliter se habeat hæreditas, aliter dos & peculium, aliter deniq; grex vel populus, itemq; familia abs re non esse videtur, si paulo distinctiùs pro luculentiore nostræ definitionis extructione de illis hoc loco, sed brevissimis agam, missis aliorum confusaneis & in jure malè cognitis fractionibus rectius quàm divisionibus. Rem igitur sic accipe: Universitas omnis est aut personarum aut rerum: personarum, ut civitas, municipium, collegia *l. 1. Quod Cujusq; Universit.* Senatus, Curia, ut & Academiæ, *authent. habita C. ne filius pro patre l. metum 9. §. animadvertendum 1. ff. de minorib.* Scholæ officialium. *lib. 11. & 12. C.* chorus *l. 7. 8. pr. de legat. 3.* Legio, Familia *l. pronunciatio 195. §. fin. ff. de V. S.* Gentiles. *l. sæpè comparatum 53. ff. Eod.* Agnati *d. l. 53. & §. 1. Instit. de legit. agnat. tut.* Rerum verò rursus vel incorporalium, ut hæreditatis *in pr. Inst. de reb. Corpor. & incorp. l. 50. in pr. ff. de hered. petit.* bonorum possessionis *l. 3. §. 1. ff. de bonor. poss.* Vel corporalium, sive sint unius generis, ut grex ovium, equilium, armentum *l. 70. §. ff. de Usufr. l. rerum mixtura 30. in f. pr. ff.*

de Usuf. sive plurium diversorumq; generum, ut pecu-lium *l. 1. ff. de Pecul.* Continent enim & res mobiles, & & imobiles nomina *l. cum Tuber. 7. §. in pecul. 4. ff. Eod.* Dos, quæ peræq; & unius & plurium diversarum rerum esse potest, *l. 1. ff. & C. de jure dot. cum tit. seq. inff.* Quo non immeritò referas & instrumentum *t. 1. ff. de Instr. & Instrum. leg.* An & mundum muliebrem & ornatum, de eo mox videbimus. His enumeratis universitatum speciebus, jam in aprico est, Geradam ei rerum corporalium ordini tutissimè subijci, qui est diversorum generum, id quod partim *ex conclus. 4. & 5.* supra satis superq; constat, partim *in part. seq.* patebit, & ita video jam olim quoq; placuisse Modest. Pist. *p. 1. quæst. 19.* nec non Dn. Jacobo Thomingio Facultatis nostræ juridicæ quondam Ordinario meritissimo *in suo manuali nondum Typis excuso*, ubi penè ijsdem verbis rem declarat, quibus *d. loco* Modestinus. Et hujus distinctionis beneficio optimè respondebimus, Deo vitam concedente, Utrum Gerada in pecuniam transmutatâ Geradâ permaneat? *infr. part. ab hinc sexta de Modis quibus tollitur Gerada.* Quod si cum Doctorum vulgo retineamus hic distinctionem Universitatis in eam, quæ est juris, facti, & mixta ex jure & facto. *Guib. Cost. de jure dot. c. 7.* præterquàm quod omni caret juris fundamento, quod & Zasius olim vidit *in summ. Digestorum de rei vindicat. n. 40.* & adhuc sub judice lis sit, quidam universitas facti, quid mixta; Hic fortassis inextricabilis sese offerret nodus, cujus intuitu dubitandum omninò foret, quid nam de Gerada sentias,

an instar hæreditatis, an dotis, an peculij sit habenda. Nolim autem existimes, me dotem adjungere peculio, quasi in omnibus sibi invicem respondeant. Non enim formam considero, sed genus & materiam, & quæ sunt utrique ratione generis communia. Sicut enim peculium vindicatur, non ut universitas, non ut res singularis; quo nomine à gregis vindicatione maximè differt. *l. 1. §. 3. cum ll. seqq. l. vindicatio. 56. ff. de rei vindicat.* Sed per singulas res peculiares, quocunque reperiantur loco, *d. l. 56.* rationem diversitatis suppeditat *d. l. 30. in f. pr. ff. de Usur.* quia Grex pro uno corpore quamvis multicipite habetur: peculio verò uni sæpe plura & diversissimi generis corpora subjacere receptum sit, *d. l. 7. §. 1. ff. de Pecul.* Hinc cum facilè dispergantur, diversaque loca occupent, alium etiam atq; alium vindicandi modum atque rationem desiderant, *d. l. 56. ff. de rei vindicat.* Idem tenendum est de dote *t. tit. ff. de jure dot.* inprimis si inæstimatò marito tradita fuerit, *arg. l. plerumq. 16. in pr. cum §. 1. & seqq.* Et hæc ratio quoq; egregiè in Gerada militat: nam & res Geradales non solum (ut dictum est) multiplicis sunt generis, sed & ex diversis locis post mortem mulieris Geradam relinquentis sæpè colligi necessum est, *de quo infr. in part. 2.* maximè apud nobiles fœminas, & ditiores civicas, quæ plærumque amplas Geradas, etiam in pluribus maritorum prædijs, cumulant, & possident. Quæ ratio, quia cessat

in ornatu & mundo muliebri extra nimirum Geradam secundum jus civile consideratis, cessat & juris dispositio *l. un. in pr. ff. de Leg. Jul. ambit. l. fin. ff. ad SCtum Syllan.* Utcunq; enim & mundus muliebris & ornatus plurium generum continent species; ille quidem speculum, unguenta, vasa unguentaria, argentum balneare; hic verò annulos, catenas, reticulos, inaures, armillas, gemmas, lapillos & caetera, quibus collo, capite, manibus mulieres ornantur *l. argumento. 25. §. si mulieri 9. cum §. §. seqq. ff. de auro & arg. leg.* facilius tamen in unum cogi possunt, & asservari receptaculo *d. l. 25. §. ornamentorum. ff. d. tit.* Quod si tamen pro re natâ in diversis locis extent, ut à pluribus possessa peti debeant, ob identitatem rationis haec duo, quod Gerada peculium & dos, obtinere non immeritò dixeris, ratio enim eadem idem jus exigit *l. un. ff. de fonte.*

VIII.

Differentiam, qua rerum haec Universitas, Gerada, tùm sistitur, tùm ab alijs speciebus Universitatis discernitur, statuimus, quod ad solum sexum muliebrem (a) regulariter pertineat (b).

(a) *Lib. 1. Landr. art. 24. 27. ubi & Zobel. in addit. A. B. C.* Hinc illa regula, Geradam petens, per foeminini sexus personam junctus esse debet *Lib. 3. Landr. art. 15. Weichb. art. 23. Lehenr. cap. 56. in gloss.* Sed numquid & Hermaphroditae, quos Saxones Altfuviel appellant

Lib. 1.

Lib. 1. Landr. art. 4. Geradæ sint capaces, item mente captæ, furiosæ, patebit; *infr. part. 3.*

(*b*) Sexus enim hic solus ut plurimum acquirit, solus retinet, solus ad alias mulieres transfert. Et sanè regulariter eam deferri mulieribus indubitatum est. *Lib. 1. Landr. art. 24. 27. & ibi Zob. in addit. A. B. & C.* ab eis solis autem relinqui præcipuum est, *de lib. 1. Landr. art. 24. ubi addit. lit. D. de art. 27. & d. lib. 3. Landr. art. 15.* Immò proprijssima nota est personarum Geradæ capacium, Nam quantumvis Monachus & Clericus *lib. 1. Landr. art. 4.* itemq; Maritus, uxore mortuâ, pro consuetudine loci Geradam capiunt: Ea tamen simul ac in manus ac possessionem eorum devenit, Geradæ naturam amittit, inq; commune rerum mobilium jus ac dispositionem degenerat. Unde rectè constitutum est de Saxon. jure, quod clericus equidem Geradam acquirat, eam verò nequaquam relinquat. Pro regula namq; immotæ veritatis traditur *in addit. lit. D. ad d. art. 24.* quod nemo masculorum, sed solæ mulieres Geradam ad Heredes transmittere valeant. Quod idem & quidem tantò magis de marito tenendum, quantò minùs, quàm Clericus in Gerada Juris habet, qua de re plura, volente DEO, *part. 3.*

Quid verò an non maritus post obitum ex bonis suis Geradam relinquit Viduæ superstiti? Immò non relinquit, quod nunquàm habuit: Non igitur vidua Geradam post mariti mortem jam primò acquirit, sed quam ante habuit, retinet, causam enim â marito non agnoscit, sed ex sola Juris Saxonici dispositione; vi-

vus maritus nec dominium nec possessionem in Gerada habet, sed usum duntaxat cum uxore communem: Uxor hæc omnia, & defuncto marito, sola etiam usum. Quod infra part. volente DEO, quinta, de jure mulieris in Gerada multis probabitur & textibus & juris rationibus; *interim consule in simili Hartm. Pist. lib. 1. quæst. 31.*

IX.

Hinc Geradam definimus universitatem rerum mobilium, ad muliebris sexus, cui soli relinquitur (a) patrimonium de jure Saxonico pertinentem. (b)

(*a*) Quod civiliter accipiendum est secundum ea, quæ in thesi antecedente dicta sunt, *arg. l. 9. ff. de Servit. l. pen. ff. ad Exhib. l. cui pacto. 5. ff. de stup. ... port.*

(*b*) Nec hodie distinguimus inter rusticas & civicas, nobiles & illustres fœminas, *juxta part. ab hinc. 3.* Quod autem Glossator *ad art. 22. Weichb. in princ.* Geradam ita describit, quod nihil sit aliud, quàm quâ instruitur ut plurimùm mariti domus, quæque à rebus expeditorijs separata est: Gerade ist nichts anders/ denn das in eines Mannes Hauß gehöret gemeinig-lich/ und von dem Heergewette gesondert ist/ est qualiscunq; descriptio desumpta partim ab instrumentis & supellectile, ad domum viri instruendam pertinentibus

nentibus, partim à remotione rerum earum, quæ expeditoriæ dicuntur. Sed cum supra *concl. 6.* tùm ab instrumentis domesticis, tùm à supellectile diligentèr distincta fuerit, monstratumq; , quod partim de instrumentis, partim de suppellectile participer, partim de alijs, quæ pro adstruendo genere in *d. Concl. 7.* adducta sunt; nihil attinet hoc loco Cramben apponere, sed ad dijudicandam glossatoris definitionem, lectorem eò remissum cupimus, eam suo loco ac seculo relinquentes; præsertim cum deprehendamus glossatoris intentionem non fuisse, perfectam & λωγικωτέραν definitionem dare, sed qualem qualem duntaxat descriptionem afferre voluisse, in quo genere etiam magni nominis JCti in digestis nostris libentèr acquiescunt. Quod autem oculatissimus olim harum terrarum JCtus Modestinus Pistoris *in p. 4. quæst. illust. 131. n. 2.* Geradam, existimet, esse res Hereditarias, quæ de jure communi appellatione hæreditatis contineantur; id sanè animo accuratè definiendi Geradam ab eo nequaquam ita annotatum est, sed quod & subjecta materia suadet accommodat is hanc qualemcunq; descriptionem quæstioni à se propositæ, Utrum Gerada non aditâ sivè non agnitâ ad hæredes transmittatur, quasi ex jure communi & civili æstimatæ, res Geradales meræ sint hæreditariæ; tales, quæ secundum jus civile extra territorium Saxonicum, ubi Geradæ ejus non viget, nullo alio quàm hæreditatis jure, sicut aliæ res tàm mobiles quàm immobiles, ad hæredes transeant, quod in feudis secus est, præsertim

ijs, quæ ex pacto & providentia primi acquirentis obtingunt. Quare pro ratione dubitandi hoc dicit, & ad quæstionem à se motam negativè vult respondendum magis esse, ut scilicet non agnita, non accepta Gerada transmitti nequeat, & propterea etiam illa quæstio à Modestino ibi in medio relinquitur, quàm doctissimus Additionator plenè & accuratè examinat, & nos *infr. part. quartâ* idem σὺν θεῷ, tentantes post illius uberrimam messem specilegium faciemus.

X.

Finis Geradæ est, ut fœminis olim esset Solatio, ab hereditate paternâ nimirum apud Saxones repelli solitis (a). Hodiè verò ut intuitu rerum feudalium Expeditariatum, aliorumq; jurium illam præcipuam etiam nunc retineant. (b)

(a) Sicut enim emancipati olim apud Romanos à parentibus quædam accipiebant pro nova sua familia instituenda *l. litis contestatæ 37. §. 1. ff. de neg. gest. l. ut liberis 17. C. de Collat. l. ult. C. de Emancip. l. 8. l. 9. §. 2. C. de bon. præscript.* quibus oportebat nos esse contentos, nullâ illis amplius spe relictâ plura petendi aliquando ex hereditate paterna eo inprimis seculo, quo Prætor Emancipatis bonorum possessionis beneficio nondum succursum iverat. *§. emancipatos. 3. Instit. de ex part. liber. §. emancipati 9. Inst. de heredit. quæ ab intest. defer. juncto 9. Inst. de bon. poss.*

Sic

Sic fœminis quoq; apud Saxones priſcos b, ellicoſiſſimum illum populum, nihil amplius, acceptâ Geradâ, Juris remanſit in hæreditate parentum, *lib. 1.* Landr. *art. 17. ubi Zob. in add. lat. lit. d.* quo de ſupra plura in concl. 1. in medium allata memini.


Undè ſequi videbatur, cum hodiè fœminæ pari jure cum filijs & agnatis gaudeant in bonis, à patre vel agnato relictis, ceſſante Geradæ introductæ ratione, ceſſare etiam debere Geradam ipſam, *arg. l. un. ff. de font.* ne hâc in æqualitate, omnis diſcordiæ matre, jus noſtrum laborare videatur, quâ de re mox è veſtigio plura.


(b) *Zob. in addit. ad art. 5.* Landr. *lib. 1. lit. l. gloſſ. ordin. ad art. 24.* Landr. *lib. 1. n. 2. gl. ad art. 23. verſ.* Nemen die Magen ꝛc. Weichb. Id quod inprimis locum ſibi vindicat in illuſtribus & nobilibus fœminis, quæ de jure feudali & Imperij pati coguntur, ut Feuda, Ducatus, Principatus, Comitatus, à patribus relicta ſoli fratres capiant *lib. 1. Feud. tit. 1. §. hoc autem, 3.* cùm, *ut Herníenſis ibidem inquit,* nec faidam levare, nec pugnam facere poſſint fœminæ. Illis igitur invidendum non eſt, ſi matres earundem in compenſationem bonorum feudalium amplioris Geradæ, pretioſiorisq; repertæ fuerint magis ſtudioſæ; Quò inclinat & Addit. *lib. 1.* Landr. *art. 5. lit. L.* ſuggerente id & æquitate & æqualitate in omnibus negotijs obſervandâ, quoties jure deficimur *l. in omnibus 90. ff. de R. J. l. In ſummâ §. item Varus 5. in f. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* Verùm enim verò remanſit Gerada etiam apud civiles & ru-

rentibus nihil feudorum, parum verò expeditariarum rerum relinquatur. Quæ res certè nonnihil iniquitatis habere videtur, quod sorores bona paterna cum fratribus ex æquis portionibus dividere quotidie comperiamus, nihilo-tamen-secius Geradam illis præripientes.

Sed si rursus cogitamus, filiorum Educationem & institutionem plus sumptuum, qui paternum patrimonium non rarò vehementer frangunt, requirere, quàm filiarum. *arg. l. cum plures, 12. §. cum tutor 3. ff. de administr. tut. l. tutor. 13. in pr. ff. Eod.* Quod item in pagis rusticorum filiæ, superstitibus filijs, à bonorum immobilium successione, portione suâ in æstimationem resolutâ, removeri soleant, & si quæ sunt alia, quæ præcipua habent filij; mirum adeò non est, nec ab æquitate alienum, ut Gerada etiam inter civicas & rusticas mulires hodiè quoq; sustineatur (*Dissentit Consult. Saxon. p. 1. quæst. 32. apud Mind. lib. 3. quæst. 39. n. 1.*) dummodò servetur modus, ne inprimis civicis Geradam plus justo in fraudem creditorum, conniventibus viris, augere liceat, *arg. §. in fraudem 3. Inst. Qui & quibus ex caus. man. & 1. 1. ff. Quæ in fraud. credit.* De Effectibus deniq;, Cognatis & Pugnantibus Geradæ infra volente domino, part. 5. & 6. agendi erit locus.

F I N I S.





LIPSIÆ,



Excudebat JOHANN Glück.

ANNO M DC XXI.